

7. *An mundus conflagrandus, si primus homo non peccasset?*

Dicitur. Inter seculi consummationem, & totalem annihilationem. Illa, ut probabiliter dicitur, locum habuisset in statu integratissimo, quandoq; videm translocandi homines in gloriam. De hac tacet Scriptura.

IN LOCO DE EXTREMO JUDICIO. THEOREMATA.

1. Iudicium derivatur à jure dicendo, qvia secundum juris præscripta iudex sententiam dicere tenetur. Dicitur *extremum*, partim respectu judiciorum priorum, qvæ Deus tum in hac vita, tum in morte hominis exercet, partim respectu temporis, qvod fiet *extremo* mundi tempore, cum seculum consummabitur.

2. Hebræis dicitur ΛΟΥΠΩΝ Grecis κέρις. Notanter in Sacris dicitur dies judicii, Matth. 19. v. 15. dies Dei, 2. Pet. 3, 12. dies Domini, Joel. 2. v. 11. dies iræ & afflictionis, Esa. 13, 10. Amos. 5. v. 18.

3. Qvod futurum est *extremum* iudicium, expresse docent sacra literæ, respicientes patefactam Dei voluntatem, ejusq; justitiam, Ps. 9, 8. Matth. 12 v. 36 qd. cap. 13, 41, seq. Actor. 17, 31. Rom. 2, 5. 6. 7. 1. Cor. 4, 5. 2. Cor. 5. 10. 2. Thess. 1, 5. 6. seqq. Adde conscientiam impiorum, de qua Rom. 2. v. 15. 16.

4. Iudicium vero *extremum* est actus solemnis, quo SS. Trinitas, per Filium visibiliter comparentem, Angelos malos, omnesq; homines iudicatura est, piis qvidem in vitam æternam transcriptis, Angelis vero malis & hominibus impiis ad æternos gehennæ cruciatus relegatis.

5. Efficiens principaliter constituitur tota Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Ostendunt hoc dicta Scripturæ, Psal. 9, 8. Dan. 7, 9. & 10. Job. 5, 22. Accedit & hæc ratio: actus peragendi iudicii est opus ad extra. E. indivisū, & totius Trinitatis cōmune.

6. Causæ impulsivæ sunt: 1. Justitia divina, qvæ piis præmia, impiis supplicia decernit. 2. Veritas ejusdem, qvæ prædicta jubet impleri. 3. Diaboli & mundi malitia, qvæ debet comprimi.

7. Causæ instrumentales sunt Angeli & homines pii, qui non

Qqqqq 2 qvi-